

2.<sup>a</sup> Cum Suario (l. c.) Lessio (1), Navarro. Sanchez (2), affirmat: Ratio est, quia ex conditione rei et dignitate personae, cui fit promissio, infidelitas moraliter potest reputari sufficiens motivum ad dissolvendam amicitiam et violandam caritatem, ut constat certo apud omnes in promissione facta Deo per votum. Ergo, proportionem servata, idem dicendum est de promissione erga hominem. Attamen juxta hanc ultimam sententiam promissio: a) non obligabit ad restitutionem, etiamsi violari contingat. b) Cum non sit debitum justitiae, non potest in conscientia is, cui facta est promissio, rem sibi vindicare.

Ex quibus infelliges quoad praxim merito communioem et probabiliorem esse sententiam mediam, quae dicit obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde si ille intendat se ex justitia obligare, obligatur sub mortali in gravi materia; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur: vel, a posteriori, ut vult Lugo, (l. c.) si aliquis intendebat se obligari sub mortali, tenebatur ex justitia; si sub levi in re gravi obligabatur ex fidelitate.

### THESIS XIII.

Pactum nudum parit obligationem in foro conscientiae.

88. Est communis theologorum et juristarum: Lugo (3) ut veram tenet, quamvis contrariam dicat Rebell non esse improbabilem.

Prob. Quia etsi jus civile ejusmodi pacto regulariter non assistat actionem tribuendo, ne lites in infinitum multiplicentur, ei tamen non resistit illud irritando, adeoque illud relinquit in statu et valore, quem habet ex natura rei. Sed ex natura suam vim habet obligandi in conscientia; cum ad hoc, supposita capacitate materiae et personarum, nihil aliud requiratur, quam consensus mutuus signis externis expressus. Ergo... (4).

Obj. Standum est legibus quando sunt in bonum commune latae. Sed ita sunt leges, quae inserviunt ad imminutionem litium et deceptionum frequenter evenientium in his contractibus. Ergo.

Resp. Dist. Juxta vim et intentionem earum; conc. Aliter; neg. Nam constat has leges non esse irritantes. Ad *min.*; conc. primam partem; nam ad intentum sufficit leges non admittere actionem; ad secundam dico non esse necessarium, cum supponamus habere capacitatem sufficientem ad contrahendum; minoribus ac pupillis aliter providet lex.

(1) L. 2, c. 18, n. 55.—(2) De matrimon. L. 1, c. 5, n. 20.—(3) D. 22; sect. 5.—(4) Cod. nov. hisp. aa. 1254, 1261, 1278.

### SCHOLIA.

#### *De afficientibus contractus obligationem.*

89. I. De errore et dolo. Error est deceptio sine ullius culpa in contractu. Est substantialis, si attingit ipsam essentiam contractus; quam potest attingere errando vel in substantia materiae ut in vitro pro gemma, vel in natura contractus ut in donatione pro venditione, vel in motivo principali contractus ut si das alicui quia consanguineus, cum non sit. Est accidentalis si attingit accidentia contractus, quae potest attingere errando accidentaliter circa rem, contractum, et motivum contractus. Error tum substantialis tum accidentalis potest esse *antecedens* seu melius *dans causam contractui* i. e. talis error, quem si non haberes non contraheres, ut in exemplo posito de vitro pro gemma, et in eo, qui duceret Petram putans esse divitem cum talis non sit. Error tam substantialis quam accidentalis potest etiam esse *concomitans* seu *incidens in contractum*, nempe quando error non auferret contractum alio tamen modo contraheretur. v. g. equus uno oculo carens, vel vitrum pro gemma minori pretio emeretur.

Dolus est studiosa alterius circumventio, estque iisdem ex causis, vel substantialis, vel accidentalis, ex quibus error. Praeterea alius est verus, qui vel confessione dolose agentis, vel ex indiciis certis deprehenditur. Alius praesumptus, qui ex circumstantiis, etsi non ita manifeste, colligitur. His positis communius tenendum (1):

1.<sup>o</sup> Error antecedens et concomitans circa substantiam rei, vel contractus, vel circa motivum principale quemlibet contractum jure naturae irritum reddit.

Prob. Ad verum contractum essentialiter requiritur consensus liber. Sed cum errore substantiali tollitur consensus liber. Ergo... *Min.* prob. Consensus liber requirit cognitionem rei in quam consentit. In incognitum enim non fertur voluntas. Sed error substantialis tollit cognitionem rei, in quam videtur errans consentire. Ergo.

2.<sup>o</sup> Error vel dolus accidentalis incidens, nullum contractum irritum reddit, imo nec rescindibilem, sed tantum dat jus parti deceptae ad indemnitatem.

Prob. I.<sup>a</sup> Pars. *Non irritum.* Contractus consensu substantiali perfectus non est irritus. Sed error vel dolus accidentalis incidens non tollit consensum substantialem. Ergo... *Min.* prob. quia non tollit cognitionem rei, in quam consentit contrahens.

II.<sup>a</sup> Pars. *Nec rescindibilem, sed tantum.* etc. In tantum habetur jus ad rescindibilitatem in quantum aliter non posset reddi

(1) Cum Platelli a. n. 582, de just. et jur.



aequale parti laesae. Sed absque recisione, sola indemnitate jam redditur aequale debitum parti laesae. Ergo...

3.<sup>o</sup> Error vel dolus accidentalis antecedens, non proveniens a contrahente, sed ab alio tertio, vel a simplicitate ejus, qui decipitur, non reddit invalidum contractum, nec probabilius dat decepto jus resiliendi a contractu.

Prob. I.<sup>a</sup> Pars. Cum hujusmodi errore habetur consensus circa rei substantiam. Ergo valet jure naturae, maxime cum leges civiles illi non resistant.

II.<sup>a</sup> Pars. cum Lugone (1): Totum jus ad rescindendum hujusmodi contractum provenit ex injuria decipientis. Sed in casu contrahens non fuit decipiens nec doli particeps, ut supponitur. Ergo nullum jus datur adversus contrahentem, sed solum adversus tertium, qui dolose decipit. Confir. Ementes, nisi expresse conveniatur, non ea lege emunt, ut si postea venditori videatur melius fuisse rem sibi retinere, possit venditionem rescindere. Sed si semper ac quis decipitur a propria simplicitate vel ab alio tertio liceret decepto rescindere contractum, subintelligeretur conditio illa in omnibus contractibus. Ergo.

4.<sup>o</sup> Error vel dolus accidentalis antecedens, ab uno contrahentium proveniens, non irritat contractum jure naturae, sed decepto liberum est, stare vel non contractui solubili.

I.<sup>a</sup> Pars. Cum Lessio, Molina, Lugo (2), etc., contra Conradum et Joannem Medina, qui volunt esse invalidum defectu sufficientis consensus et voluntarii. a) Quia in hoc casu habetur consensus substantialis, qui solus requiritur et sufficit ad essentiam veri contractus. b) Quia non minus voluntarius requiritur consensus ad contractum matrimonialem quam ad emptiorem, venditionem, etc. Sed etiam juxta adversarios in casu nostrae theseos habetur consensus sufficienter voluntarius ad valorem matrimonii: si enim Titius duxerit Cajam mentientem se esse nobilem aut virginem, quam non duxisset, nisi, ab ea deceptus, nobilem aut virginem esse falso credidisset, validum est matrimonium. Ergo...

II.<sup>a</sup> Pars. Hujusmodi contractus non obligat deceptum irrevocabiliter sed revocabiliter pro ejus arbitrio. Sed liberum est ei, qui ita obligatur stare vel non contractui. Ergo... *Maj.* prob. Deceptus habet jus ut reddatur indemnitas et liber sicut erat ante contractum, et vicissim decipiens tenetur ratione doli eum auferre juxta jus alterius. Sed istud importat deceptum posse resilire a contractu ad nutum ejus. Ergo...

90. II. De fictione consensus. Ex ipsa contractus definitione et nullitate promissionis et donationis mere internis neque acceptatis inter homines, liquet: consensum requisitum ad contractus validitatem debere esse deliberatum, externum et mutuum; si vero aliquis:

(1) D. 22, n. 85. Contrarie opinantur Lessius et Sanchez.—(2) D. 22, n. 73.

1.<sup>o</sup> Habeat animum contrahendi sed cum expressa voluntate non se obligandi, dicendum probabilius nullum facere contractum.

Ratio est, quia rem nugatoriam vult, contractus enim est ad obligationem, quam ipse non vult. Dixi cum expressa voluntate, nam si voluntas non se obligandi non esset ita clara et determinata, tunc attendendum est, cum Lugone (1), ad illam voluntatem, quae sit magis efficax et absoluta, seu quae habeat modum magis universalem volendi et cum quadam reflexione formali vel virtuali supra aliam quia haec voluntas praevallet et destruit aliam. Quare si est magis efficax et absoluta voluntas promittendi, manet obligatus; si vero est magis efficax voluntas non se obligandi, non fit contractus; sin autem sint aequales actus nullus est, nam intenditur effectus impossibilis et absurdus.

2.<sup>o</sup> Externe solum consentiat sine animo contrahendi non facit contractum verum et validum in foro conscientiae.

Ita communis sententia, ut advertit de Lugo (2). Additur in foro conscientiae, nam in externo reputabitur validus contractus, cum verum adfuisse consensum praesumendum sit, saltem ordinarie.

Prob. Quia contrahens mere externe et non interne nullum jus ad alium transfert: ergo non conficit contractum. *Antec.* firmatur: a) quia ita contrahens nullam habet voluntatem transferendi aliquid jus; ergo nullum transfert: b) quia verba aliaque signa sensibilia obligationem exprimentia non causant, sed solum significant obligationem: ergo ubi deest animus se obligandi exprimentur quidem obligationem, sed apparenter et falso, non realiter et vere: c) si signa externa obligationem exprimentia ex se eam causarent sine interno consensu, idem eveniret in matrimonio; nulla enim assignari potest ratio illud excipiendi. Atqui adversarii illud consecretarium non admittunt. Ergo.

Si dicis: a) Externe tantum contrahens debet ex justitia praestare verum consensum: ergo etiam in foro interno habendus est ut vere consentiens. b) Plura oriri inconvenientia v. g. fictum venditorem, restitutum occulte pretio, rem venditam sibi retinere posse; fictum contrahentem semper posse a contractu recedere, si alleget se non vere contraxisse; rerum omnium dominia fieri incerta, cum de interno consensu difficulter constet. Ergo.

Resp. Omnia instantur in matrimonio; praeterea argumentum a) nobis potius quam adversariis favet; nam si ideo fecte contrahens debet reputari ut vere et interne consentiens, quia internus consensus est ex justitia debitus; ergo hic consensus necessarius est ad obligationem aliquam inducendam, quae sine illo nasci non potest: nam si absque illo, jam valet quis obligari, non erit ex justitia debitus, sed ad summum ex fidelitate ad mendacium vitandum. Deinde ad *a.* et *b.* dico, tenetur fecte contrahens verum praestare consensum ut illa inconvenientia vitentur, si aliter da-

(1) D. 22, a. n. 38.—(2) Ibid. n. 45.



mnum decepto illatum reparari non possit; conc. Si aliter possit, sicut in aliis deceptionibus minime perniciosus; neg. Tandem de interno consensu, cum verba obligationem exprimentia serio proferuntur, communiter et certitudine morali non est dubitandum, quare contrarium asserenti nemo tenetur fidem adhibere, non secus ac fit in matrimonio.

91. III. **De metu.** Quid sit, jam ex disputatis supra Disquis. III, n. 15 notum est, hic specialiter animadvertendum: metum esse ab intrinseco, si oritur ex apprehensione metuentis, ut cum quis votum concipit metu alicujus mali, v. g. mortis: esse ab extrinseco, si est a causa naturali alia morali vel libera incussus, puta ab homine, tempestate, etc. Aliqui metum ab intrinseco dicunt etiam illum, qui procedit a causa necessaria, et ab extrinseco solum illum, qui procedit a libera. Metus tandem est reverentialis, si oritur ex timore offendendi superiores v. g. patrem, principem, etc. Quibus positis, tenendum:

1.<sup>o</sup> Contractus initus ex metu gravi a parte contrahente injuste incusso, non est invalidus jure naturae.

Est sententia probabilior (1). Sentiunt tamen aliqui contrarium quoad omnes contractus sive gratuitos sive onerosos (2); et quoad contractus gratuitos tantum, aliqui alii (3).

Prob. Si talis contractus esset invalidus esset vel defectu consensus vel ratione injuriae. Sed neutrum. Ergo... Non primum; nam metus causat voluntarium simpliciter et solum involuntarium secundum quid; ergo habetur consensus simpliciter voluntarius; alioquin ut notat de Lugo etiamsi metus: a) esset ab intrinseco, ut si ex metu mortis, in naufragio vel morbo, votum fecisti, actus non valeret: aequae enim operaris ex metu et aequae miscetur involuntarium ex metu in utroque casu: b) etiam qui ex metu juste incusso operatur, non minus operatur ex metu et cum repugnantia quam si metus injuste inferatur; et tamen is voluntarie operatur: c) etiam qui legem Dei observat cum maxima repugnantia ex metu inferni, voluntarie id facit, et Deus contentus est illo obsequio voluntario, illudque acceptat et remunerat. Non ergo deest consensus voluntarius simpliciter propter metum incussum. Non secundum; cum injuria non constituat sed causet consensum, quo contractus constituitur.

Si dicis: a) Nequit jus per injuriam acquiri.

Resp. Dist. immediate et formaliter; conc. mediate et per accidens; neg. Metus quidem injuste incutitur, sed consentiens contractui ex metu non injuste consentit.

b) Metum passus si non tradit rem promissam, non habet obligationem tradendi: Ergo contractus seu promissio valida non fuit.

Resp. Dist. *antec.* Non habet obligationem firmam et stabilem; conc. Infirmam et dependentem a sua voluntate; neg. et dist. *con-*

(1) Lessius, L. 2, c. 17, n. 36; Sanchez. De matrim. L. 4, D. 8, n. 4; Lugo D. 22, n. 119.—(2) Ut Molina, Palacios, etc.—(3) Turrianus, Sotus, etc.

*seq.* Valida non fuit stabiliter et independenter a voluntate metum passi; conc. Nullo modo validam; neg. Contractus ita rescindibilis non est otiosus et vacuus; producit enim immediate obligationem in contrahente, sed simul, propter injuriam illatam, dat illi jus contra adversarium, quem, si vult, obligare potest ad rescindendum contractum, si rescindibilis est.

2.<sup>o</sup> Contractus non est rescindendus ad nutum metu coacti, quando non ipse contrahens, sed alius tertius metum intulit; tunc solum datur in metum passo actio adversus illum, qui metum intulit.

Quia alter contrahens cum non fuerit particeps coactionis non obligatur ex justitia seu injuria ad rescissionem. Vid. I. 3.<sup>o</sup>

3.<sup>o</sup> Jure canonico propter metum injuste incussum redduntur invalidi contractus: a) Matrimonii. b) Probabiliter sponsalium. c) Professionis religiosae et quorumcumque votorum. d) Quando in eis agitur de traditione rerum Ecclesiae, renuntiatione beneficii, electione praelatorum, absolutione a censuris, et probabiliter de jurisdictione ecclesiastica (1).

4.<sup>o</sup> Certum est contractus initos ex metu levi non esse rescindibiles in foro sive Ecclesiastico sive civili cum metus levis in jure pro nullo reputetur.

Quoad forum conscientiae sententia (2) satis communis dicit, ad rescindendum obligari eum, qui injuste metum levem intulit.

Ratio est, quia levis metus etiam infert injuriam, quae reparanda est per repositionem coacti in sua libertate.

Contradicit altera, etiam probabilis: metus enim levis in potestate patientis metum est, quod eum facile refutare potest, quare voluntarie omnino videtur operari, qui cum posset facile metum repellere, non repellit.

Lugo acute ut solet distinguit ita: si metus levis fuit solus vel quasi solus, vel simul cum alio motivo causa contractus, tunc datur locus rescindibilitati, quia metum inferens se habet ut cooperator injustus ad damnum alterius; e contra si etiam sine metu daretur contractus, tunc contractus non est rescindibilis, sed satis erit si pro parte damni illati juxta proportionem influxus restituat. Numquam tamen tenebitur rescindere contractum quia tunc cogere reddere supra debitum, cum non fuerint causa sufficiens illius damni.

92. IV. **De juramento.** Juramentum dicitur: a) *firmare contractum*, quando hunc facit in sua specie validum, ita ut praeter obligationem juramenti propriam, ei, in cujus favorem juratur, dat novum jus; unde adhuc relaxato juramento manet contractus obligatio, quam juramentum firmaverat. b) *Confirmare contractum* cum contractui jam valido addit obligationem religionis juramenti promissorii. An attento Jure canonico et civili romano contractus

(1) Jus hisp. universim pronuntiat: «La violencia ó intimidación anularán la obligación, aunque se hayan empleado por un tercero que no intervenga en el contrato.» Art. 1268.—(2) Lug. D. 22, a. n. 134.



solum jure positivo rescindibiles vel irriti, si non sint contra bonos mores firmentur, in utramque partem probabiliter disputant auctores; quare pro praxi videndum est an leges clare et expresse negent rescindibilitatem vel irrationem contractuum rescindibilium vel irritorum cum juramentum apponitur. In noviss. codic. hispanico art. 1260 juramentum non admittitur in contractibus (1). Dixi jure positivo et si non sint contra bonos mores; nam contractus jure naturae invalidi, et contra bonos mores non firmanur juramento, illi, quia nec veri sunt contractus, isti, quia impii.

93. V. De materia turpi in contractu. Tripliciter potest aliquid dari ob rem turpem vel ob turpem causam. 1.º Ut turpitudine se teneat ex parte dantis et non ex parte accipientis, ratione saltem acceptationis: e. g. meretrix turpiter egit se prostituendo, non autem est clarum turpiter agere pretium accipiendo. 2.º Ut turpitudine tantum se teneat ex parte accipientis e. g. si accipiat aliquid latrone viatorem occidat. 3.º Ut turpitudine sit tam ex parte dantis, quam accipientis, e. g. si quis judici det rem furtivam, ut ferat sententiam injustam et hic illam scienter accipiat. Item merces seu res data potest etiam dupliciter considerari; nam potest esse res ex se saltem indifferens ut pecunia vel potest esse mala, ut si quis alteri scienti det furtivam, vel meretrix in compensationem prostituat corpus.

Certum est, nullam unquam posse dari obligationem ad dandam pro mercede rem malam, neque enim potest dari obligatio ad peccandum. Certum item est, quod ante impletum ex una parte contractum non obliget pactum turpe, debetque contractus rescindi ut dicitur, in Jur. canon. (2). «In malis promissis rescinde fidem: in »turpi voto muta decretum: quod incaute vovisti, ne facias; impia »enim est promissio quae scelere adimpletur.» Hinc contrahens cum meretrice v. g. ante admissam fornicationem debet rescindere pactum, non quidem, ut notat Platelli (3), ex obligatione justitiae erga alterum contrahentem, ut contingit in contractu ex dolo vel metu gravi, sed ex obligatione virtutis cui opponitur opus turpe patrandum, ad quod ex justitia, quae est virtus, nemo potest obligari. Certum etiam est, si forte pretium ante opus turpe jam acceptum erat, illud a meretrice debere restitui, quia conditione non impleta et consequenter neque contractu impleto, solutio non debetur.

Est igitur quaestio an impleta re turpi, si merces pacta sit res saltem indifferens, valeat contractus; ac proinde an promittens teneatur eam dare et vicissim an accipiens possit eandem mercedem retinere? Attento solo jure nature triplex est auctorum sententia. 1.ª Aliquorum (4), qui tenent nullo opere, quod per se turpe seu peccatum sit, ut est fornicatio, posse aliquid accipi, et si quid sit acceptum, id esse necessario restituendum, nisi videatur gratis donatum. Huic sententiae concedit probabilitatem S. Ligo-

(1) «No se admitirá juramento en los contratos. Si se hiciera se tendrá por »no puesto.» — (2) C. *In malis promissis*, 22, Q. 4. — (3) De just. n. 588. — (4) Medinae Joann., Comitoli, etc.

rius (1) et ante eum Diana. 2.ª Eorum (2) qui volunt pretium acceptum pro opere turpi, quod non sit contra justitiam, non esse restituendum; secus vero si sit contra justitiam; sic non debet meretrix restituere pretium pro fornicatione, quae est contra castitatem, debet vero iudex pro injusta sententia, quae est contra justitiam. 3.ª Quam tenent primates in scientia juris et quam de Lugo dicit communem et veram (3), est nostra, quae sequenti *Dico* exprimitur:

*Dico:* Cum merces pacta non est turpis, contractus de re turpi, hac impleta, jure naturae validus est, ac promittentem obligat ex justitia.

Prob. 1.º Semper ac possit impleri contractus sine peccato, contractus servandus est jure naturae. Sed, posita re turpi, contractus potest servari sine peccato. Ergo... *min.* prob. Ille contractus potest servari sine peccato, qui potest adimpleri sine turpitudine et sine injustitia. Sed, posita re turpi, nulla est turpitudine in redditione et acceptatione rei saltem indifferentis, et nulla injustitia ubi accipiens dedit aliquid pretio aestimabile ut opus peccaminosum, non quidem qua peccaminosum, sed ut est ementi utile aut delectabile et facienti laboriosum ac periculosum. Ergo.

2.º Ex consecrariis oppositae sententiae: nam semper ac deberetur aliquid propter peccatum patratum, numquam esset debitum solvendum. Sed hoc dici non potest. Ergo... *Min.* constat ex eo quod communiter AA. obligent v. g. eum, qui virginem defloravit cum vera matrimonii promissione, eam ducere; herum, qui famulos illicite die festo laborare fecit, eis debitum stipendium dare, etc.; Ergo.

3.º Ex auctoritate D. Thomae (4), qui docet: «Tertio modo »est aliquid illicite acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit »illicita, sed quia id ex quo acquiritur, est illicitum; sicut patet de »eo, quod mulier acquirit per meretricium; et hoc proprie vocatur »turpe lucrum, quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter »agit, et contra legem Dei; sed in eo, quod accipit, non injuste »agit, nec contra legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, re- »tineri potest, et de eo eleemosyna fieri;»

4.º Ex jure Rom. (5) in quo statuitur ea, quae meretrici sunt data, repeti non posse, propter hanc rationem sequentibus verbis expressam: «illam enim turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere cum sit meretrix» h. e. quia aliquid dat pretio aestimabile.

Dices 1.º Juxta reg. 18. Juris in 6.º «Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.» et Reg. 29, ff. *De diversis regul. juris*: «Quod initio vitiosum est, non potest tractu

(1) L. 3, n. 712. Bucceroni. Institut. Theolog. moral. vol. I, n. 959.— (2) Cajetanus, Sotus, Covarrubias, etc.—(3) D. 18, nn. 45-54, Vid. Gury - Ballerini. De just. not. n. 760.—(4) 2, 2, Q. 32, a. 7; Q. 62, a. 5 ad 2, et in aliis locis.—(5) L. 4, § 3, *Sed quod meretrici*, ff. *De conditione ob turpem vel injustam causam*.



»temporis convalescere.» Ergo si contractus ante perpetratum peccatum sunt nulli, nec post commissionem peccati valent.

Resp. Explico sensum *distinct...* quod ab initio non subsistit;... quod ab initio vitiosum est, absolute; conc. sic v. g. matrimonium invalidum, non revalidatur solo temporis tractu: conditionate tantum; neg. vel subdist. non purificata conditione; conc. haec purificata, neg. Contractus enim conditionatus, sola impleta conditione obligat, hac non impleta suspenditur, et ideo in canone praecitato dicitur «in malis promissis rescinde fidem.» eo quod prius non sit rescisa.

2.º S. Augustinus (1) ad Macedon.: «Si justitia sincerius »consulatur; justius dicitur advocato: redde quod accepisti quando »contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, etc.» Ergo advocatus non potest retinere mercedem ob turpem causam, seu injustam defensionem. Ergo similiter dicendum de aliis contractibus in re turpi.

Resp. Non est una AA. responsio: Lessius et Turrianus distinguunt justius dicitur ratione majoris peccati; conc. ratione obligationis restitutionis; neg. Ratio esse potest. quia verba Augustini non sunt necessario interpretanda de praecepto riguroso justitiae, sed sufficit si sumantur tamquam consilium justitiae congruentissimum. Lugo et Vazquez distinguunt: hoc dicit Augustinus juxta leges sui municipii; conc. Attento solo jure naturae vel civili romano; neg. Si haec non placent dic etiam cum P. Vazquez (2), S. Augustinum in contraria forte fuisse sententia, sed tunc dubia auctoritas non debet nostris rationibus praevaleare: unde in forma juxta hanc solutionem: neg. *conseq.*

3.º Quando aliquid accipitur ob peccatum, maxime contra justitiam, injuste accipitur: ergo debet restitui.

Resp. Neg. *antec.* si peccatum tamquam conditio jam praecessit; licet enim quis injuste egerit peccando; tamen non agit injuste contra eum cum quo pactus est, nec injuste mercedem accipit: et consequenter hanc restituere non tenetur.

4.º Solutio illa, vel etiam acceptio pecuniae est approbatio prioris delicti; haec numquam est licita, neque potest ad illam dari obligatio.

Resp. Neg. *maj.* Potest enim aliquis etiam jam per contritionem delevisse peccatum, et tamen velle solvere, ut adimpleat contractum. Quod autem saepe concurrat malus affectus est per accidens. Et quamvis solutio acceptetur tali cum affectu, cum hic non sit contra justitiam non obligat ad restitutionem: potestque retineri acceptum, et debet solum mutari affectus.

5.º Peccatum non est vendibile: neque enim actio peccaminosa est digna pretio: ergo injuste acquiritur pecunia vel merces pro peccato.

Resp. Dist. *antec.* peccatum vel actio peccaminosa non est vendibilis licite; conc. Valide; neg. In ordine ad venditionem actionis peccaminosae non debet considerari ejus malitia, sed fidelitas, qua

(1) Epistola 54.—(2) Opusc. de restitut. n. 28.

praestita est: item delectatio vel utilitas, quae est percepta, labor et periculum, detrimentum fortunarum et similia, quae executor actionis, illius causa, suscepit, et quae apud homines digna pretio existimantur quamvis annexa sit iis malitia; possunt enim illa seorsum considerari quanti valerent, si a malitia separata forent, ut notant Cajetanus, Gormaz, Lessius et Molina.

6.º Si contractus de re turpi, eà praestita, obligaret ad solvendum pretium promissum, sequeretur quod etiam promissio prodiga obligaret ad solvendum quod promissum est, quod videtur absurdum. *Conseq.* prob. Ideo, praestita re turpi, datur obligatio solvendi pretium promissum, quia, posita ea turpitudine, puta homicidii, nulla habetur turpitudine in solutione pretii: sed pariter posita prodiga promissione, v. g. dandi medietatem priorum bonorum gratis, nulla est turpitudine in solvendo quod est promissum: Ergo tenetur etiam promissor stare promissis.

Resp. Non una est AA. responsio. Lugo, Molina, Lessius, Sanchez apud Vivam (1) concedunt sequelam, quando exequutio prodigae promissionis nihil habet illiciti respectu promittentis, et afferunt exemplum puellae nobilis et divitis, quae vere promittat et sine errore nuptias ignobili et pauperi: est probabilis. Alii cum Soto, Ledesma, et Suario nostro (2) rectius, ut videtur, negant *conseq.* Quia promissio rei de se mala numquam obligat. Sed prodigalitas est res de se mala. Ergo.

94. **Notandum** ex jure civili, hujusmodi pacta haberi ut invalida, ita ut in judicio nullam pariant actionem, qua promittens ligari possit ad reddendum promissum. Sit in exemp. Leg. 6. Codic. *de pactis* «Pacta, quae contra leges constitutionesque, vel contra »bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est.» Idem Jus Hisp. (3). Dubitatur vero, an hujusmodi leges vere irritent hujusmodi contractus etiam pro foro interno et ante sententiam judicis: Affirmant nonnulli pro omni delicto; alii solum pro delictis, quae legibus puniuntur, in quo sensu est probabilis: sed probabilior videtur sententia (4) quae negat.

Ratio est, ut ait Lessius quia: 1.º Leges istae, quae pacta turpia et iniqua rescindunt, non ideo reddunt irritam acquisitionem rei ex tali causa; nec faciunt accipientem inhabilem ad comparandum ejus rei dominium: sed tantum videntur decernere, ut ante opus patratum illa pacta habeantur ut invalida, et ne ex illis oriatur obligatio civilis, i. e. ob quam possit quis in judicio petere rem promissam, vel datam repetere si non fuit turpitudine in donatione. 2.º Quia credibile est his legibus non rescindi obligationem naturalem, quae ex talibus pactis opere impleto nascitur: ita enim leges positivae sunt interpretandae, si fieri potest, ut dispositioni juris naturalis consonent.

95. VI. **De subjecto contractus.** Duplici regula cognosci possunt

(1) Curs. theol. P. 5, D. 4, q. 2, n. 6.—(2) Tract. de Relig. L. 2; de juram. c. 28.—(3) Novis. cod. a. 1275 «Los contratos sin causa, ó con causa ilícita no producen efecto alguno. Es ilícita la causa cuando se opone á las leyes ó á la moral.»—(4) Lessii L. 2, c. 14, a. n. 5; et aliorum Lugo, Molinae, etc.